

B. N. C.
FIRENZE
1010
25

1010. 25

1010

25





EPISTOLA

Illustrissimi ac Reverendissimi D. NICOLAI PAVILLON Episcopi Alectensis, ad Illustrissimum ac Reverendissimum D. HARDVINUM PERFIXE Archiepiscopum Parisiensem, De Subscriptionem Formulæ, quæ damnantur Quinquè Propositiones JANSENI: E Gallico in Latinum conversa.

Ritualem Alectensem, Tibi, Domine Illustrissime, meo nomine oblâtum eâ benignitate excepisti, Literisque ad me vigesimâ Mensis proximè elapsi datis, tam honorificum de eo tulisti suffragium, ut ultrò agnoscam, id potiùs humanitati tuæ ac singulari erga me benevolentiæ, quàm ipsius Libri dignitati tribuendum. Quâ quidem approbatione facilè mihi persuadeo, fore ut non parva ei accedat auctoritas, undè legentibus acceptior atquè aded Ecclesiæ utilior evadat. Huic autem tuo in me officio cùm vix unquam respondere valeam, id unum spondeo, me illius memorem, gratumque semper futurum.

Nequè tamen id tibi satis fuit: sed mihi aliam adhuc magnam amoris significacionem in his dedisti Literis, cùm tuos de Formulæ Jansenianæ Subscriptionem sensus aperire, totumque in eo negotio consilium tuum & facti rationem ad me perscribere instituisti. Quâ in re tuo tibi exemplo præire visus es, ut vicissim tibi omnem deliberationis meæ ac consilii de eadem Formulâ rationem ingenuè ac simpliciter aperirem: undè etiam compendio, & me vel tacente, intelligeret, quid de iis quæ hætenus à Te hoc in negotio gesta sunt, sentirem, quod te rescire velle mihi, tuo nomine, significatum est. Hæc igitur dum breviter expono, ut patienter feras etiam atquè etiam rogo.

Primùm aliquot ante annos quidam è Sorbonicis Doctoribus, Literis tum suorum Amicorum nomine scripsit, me de Summorum Pontificum Constitutionibus, & Subscriptionem Formulæ in conventu Cleri Gallicani constitutæ consulendum duxit, quod non ita clàm factum est, quin ad tuas quoquè aures venire potuerit. In his Literis multa asserbat, quæ sibi religionem injicerent, quo minùs Pontificum Bullis eam præstaret obedientiam, quæ Formulæ Subscriptionem exigebatur: illud verò maximè urgebat, se, Libro Jansenii quàm diligentissimè perlecto, nusquam in eo damnatas Quinquè Propositiones, sed potiùs planè contrarias, reperisse.

His, fateor, rationibus initio non ita permotus sum, quin existimarem, eos adhuc Pontificiæ definitioni, tam in jure quàm in facto, debere assentiri, adeoque Formulæ, ubi ea exhiberetur, subscribere: quod ut præstarent, datâ responsione, eos sum adhortatus. At illi aliquantò post aliam longiorem fecerunt Epistolam, in qua cum rationibus à me allatis fusè respondebant, tum verò denuò maximè in eo insistebant, sibi hætenus esse perspicuum, Jansenium damnatas Quinquè Propositiones minimè tenuisse, adeoque sibi nequaquam licitum ejus damnationi, reclamante conscientia, subscribere.

Hæc ubi attentè consideravi, non statim de priore Sententia discessi, memor Sapiente dictum: *Qui cito credit, levis est corde*: Sed rem diligentius examinare de-
 rexi, tum ut eorum consultationi responderem, tum ut impostèrùm Clerum quoquè
 nostrum, ubi id opus esset, eà de re docere possem. Itaque varia Scripta haud ità
 pridem de hoc Argumento ab utrâque parte edita, quantâ potui diligentia, coepi
 evolvere, Lectiōni Orationem adhibens, Deumque enixè rogans mihi adesse vellet,
 quò & restam intrem viam, & in eandem alios deducerem. Ex qua tandem inquit-
 itione multa, eam in rem, certa & explorata habui, quæ hic operæ pretium erit
 breviter exponere.

Primò mihi nunquam dubium fuit, quin & ad Ecclesiam pertineat, errores contra
 Fidem, unà cum Auctōribus & eorum Libris, damnare, & lato ab ea iudicio Fî-
 delis quisque obtemperare debeat. De hoc omnes planè consentiunt. Id unum in
 Disputationem venit, an huic Iudicio, quatenus *Factum*, hoc est, Auctōres, eo-
 rumque sensum, spectat, ea debeatur obedientia, quæ fidem seu firmam animi
 persuasionem comprehendat. Quæ quidem fides seu animi persuasio si absit, tibi
 prorsus assentior, formulæ, de qua agitur, subscribi non posse: id enim futurum
 contra sinceritatem Christianam, cui nusquam magis locus, quam cum Ecclesiæ,
 ejus, quæ in nobis est, fidei rationem publico ac solemnī testimoniō reddimus. Jam
 vero ut hæc quæ superest quæstio solvatur, duo necessario examinanda sunt.

Primum an quæstio facti & quæstio juris in hac Jansenii causa ita conjungantur, ut
 prorsus sint inseparabiles: ex quo consequens sit, eandem in utroque fidem & ob-
 servantiam Ecclesiæ deberi.

Alterum vero, ubi has duas quæstiones suapte natura sejunctas esse concesseris,
 an Ecclesia in quæstionibus facti, quæ circa Auctōres eorumque doctrinam versan-
 tur, errare non possit, atque adeo nemini unquam licitum sit ab ejus iudicio ac deci-
 sione, in hujusmodi causis, dissentire.

Ex his duobus, ut mihi quidem videtur, pendet tota hæc controversia; de quibus
 proinde quid sentiam, re diligenter examinata, hic Tibi exponam.

Quod ad priorem quæstionem spectat, juris factique, tanquam rerum suapte na-
 tura sejunctarum, distinctionem, in bullis Pontificum & formula ad subscribendum
 proposita, statim nullo negotio agnovi. Quid enim manifestius, quam quinque pro-
 positiones ab Innocentio X. prout se habent, damnatas esse, adjunctâ cuique pecu-
 liaribus censuræ atque anathematis notâ; in quo jus consistit: deinde verò ab eodem
 Pontifice, ac postea ab Alexandro VII. ejus successore, Jansenio tributas, tanquam
 ab eo traditas in libro qui inscribitur, *Augustinus*, quod facti nomine intelligitur?
 Quis autem non continuo animadvertat, duo hæc prorsus distincta & secreta à se in-
 vicem esse? Nonnulli tamen aliquot abhinc annis nullum non moverunt lapidem, ut
 hæc permiscerent, quasi inter se indivisim coherentia, ut videlicet hoc modo pro-
 positio quæ facti est, facti esse disjiceret, & ad fidem inciperet pertinere. Verum hæc
 opinio ita ab omnibus explosa est, ut vix ullum hodie reperiat patronum. Qua in re
 non mediocrem priori tuo edicto laudem consecutus es, quo eam ita profigasti, ut
 non dubitâris maliciosos aut ignaros nuncupare, quotquot Episcopis illam tribue-
 rent. Quapropter frustra in ea confutanda tempus tererem. In

In altera quaestione adhuc minus laboravi. Constat enim apud omnes, in factis non revelatis, quale est, an privatus quispiam auctor hanc aut illam sententiam tenuerit, vel in editis libris tradiderit, Ecclesiae iudicium non esse infallibile. Si quidem in fidei articulis rebusque ad salutem necessariis definiendis, conscriba est sibi divinam opem nunquam defuturam; in aliis vero rebus, quae facti esse dicuntur, non item. In his quippe rationis ductum sequitur, nec aliter in eiusmodi quaestionibus dijudicandis se gerit, quam quilibet sapientum hominum coetus. Quo sensu dici potest in hisce rebus humano modo agere, ac naturalem rationem sequi; non quod plerumque superno lumine non illustretur, sed quod non semper id contingat, nec certa ac perpetua lege ei promissum fuerit.

Ex his perspicuum est, non eam esse Ecclesiae, in definiendis factis, auctoritatem, ut eo ipso pro certis ab omnibus haberi velit: alioquin ad falsum credendum, quod absit, aliquando nos cogeret. Haec erat communis & constans, ante exortas hasce contentiones, omnium Theologorum sententia: unde etiam inferebant, liberam esse fidem factorum quae ad Honorium & Theodoretum spectant, quantumvis ea publico ac solemnium Ecclesiae iudicio definita fuerint. Quam quidem doctrinam probe nosti, Cardinalibus Baronio, Bellarmino & Palavicino ita probari, ut in controversiis adversus Haereticos, pro tuenda Ecclesiae auctoritate, illam tanquam certam adhibeant.

Neque tamen inde quis recte inferat, *Facta omnia ab Ecclesia definita in dubium revocatum iri, atque ita futurum, ut in multis, quae haecenus pro certis habita sunt, fideles nutent.* Ut enim mittam plura diversi generis facta, illudque solum genus attingam, de quo hic quaeritur, falsum est, nulla esse Ecclesiae de auctoribus eorumque libris iudicia, quae in dubium revocari non possint. Quamvis enim Ecclesia in eiusmodi rebus errare possit, ac proinde fidem sibi haberi, pro potestate, non exigat, tamen ea saepe veritatis signa occurrunt, ut hanc omnes ultro agnoscant, non tam ob ipsius iudicii auctoritatem, quam quod res per seipsam clara sit, unde nulla etiam praevia Ecclesiae declaratione, omnes de illa conveniunt. Sic damnatos in Luibero & Calvino errores ab utroque revera traditos nullus dubitat, tamen Tridentina Synodus in his erroribus damnandis auctorum nominibus parcendum duxerit.

Atque ea sunt facta in quibus Ecclesiae Pastores, si ita eis visum fuerit, subditorum fidelium subscriptionem exigere possunt. Neque enim tunc, ut quis illa credat, pro sua potestate jubent, sed ut quae jam ultro credit, aut credere debet, palam profiteatur. Quapropter si quis subscriptionem abnueret, merito de fide suspectus haberetur, quod vix dubium esset, quin dolo malo id recusaret, damnatisque erroribus reipsa esset infectus. Talia sunt quoque facta Arii, Nestorii, Eutychetis aliorumque Haereticorum, quae nemo sanae mentis in dubium vocaverit.

At alia sunt facta non perspicua aut evidenter, sed potius dubia & obscura, ut plerumque accidit, cum de Auctoribus quaeritur, qui in Communione Ecclesiae Catholicae vixerunt, & quorum Libri, non nisi post mortem, Censurae subiciuntur. Tunc enim multa animo occurrere possunt, quamobrem dubitetur, an errores de quibus insimulantur, reipsa tradiderint; neque id sola Ecclesiae auctoritate ita certum evadit,

evadit, ut omnem ea de re dubitationem abjicere necesse sit. Ejus generis sunt facta Honori, Theodoret, Abatis Joachimi, & multa alia, quæ nullus Theologorum, ob solam judiciorum Ecclesiasticorum auctoritatem necessarid credenda existimat.

Et quidem Ecclesiæ Disciplina debitaque Præpositis reverentia postulat, ut ejusmodi judicii non temere resistatur. Quin & Episcopi, si ita conducere existiment, librorum lectionem subditis possunt interdicerere, quod malo, si quid ab ea lectione periculi est, propulsando sufficit. At facti fidem exigere nequaquam possunt; multò minùs eam recusantes, hæreseos damnare, maxime si in Ecclesiæ Communione permaneant, ac prava dogmata Auctori, de quo controversitur, attributa apertè repudient; id unum contententes, ab accusatoribus malè intellectum, ac singula ejus verba Catholico sensu interpretantes. Tunc enim murua maximè opus est tolerantia, ac sinendum unumquemque in suo sensu abundare, juxtà Pelagii II. ad Episcopos Hystriæ scribentis Regulam, in Jus Canonicum à Gratiano relatam.

Postquam verò præsentem causam cum singulis adjunctis, quantà potui diligentia perpendi, mihi, fateor, planè persuasum est, factum Jansenii minimè inter ea reponendum, quæ certa & evidèntia habentur, ut sunt facta Arii, Nestorii, aliorumque hæreticorum; sed dubium esse & obscurum, ac planè simile factis Honori & Theodoret, de quibus Theologi inter se dissentiunt, quæ proinde nullus credere aut subscriptione firmare nemo cogitur. Varia sunt rationum momenta, quæ me in hanc traxere sententiam, quas majoris perspicuitatis gratià ad certa quædam capita redactas hic explicabo.

I. Maximum exploratæ veritatis signum in ejusmodi Quæstionibus, est ipsa Auctorum eorumque Discipulorum confessio. Itaque nulli in mentem venit de Calvinii erroribus dubitare, quos & ipse palàm defendit, & tota ejus Secta, quæ etiam ab Ecclesiæ Catholicæ Communione secessit, ad hunc usque diem propugnat. Jam verò patet hoc signum in præsentii Quæstione desiderari, imò prorsùs contraria occurrere. Cùm enim Author de quo quæritur, antè obierit quàm exorta sit de quinque famosis Propositionibus Disputatio, nequaquam eas potuit ut suas agnoscere. Similiter constat ejus defensores illas minimè admittere, sed potius respuere; deinde verò tantum à confidendo schismate abesse, ut Ecclesiæ potius Catholicæ arctissimè adhæreant.

II. Alterum veritatis signum in ejusmodi factis, est consentiens peritorum judicium. Sic certus est Calvinii error circa transsubstantiationem, quam ab illo impugnatam consentiunt quotquot Theologiæ Consulti ejus libros evolvunt. At hoc quoque signum frustra hic quæras. Plerimi enim, ut notum est, haud infimæ notæ Theologi, tum ex iis qui formulæ subscriptionem recusant, tum etiam ex iis qui subscripserunt, persuasum habent, Jansenii Doctrinam ab hæretico, qui ei adscribitur, sensu longè abesse: nec minùs constat, Theologos ejus defensores, hætenùs in aliquo judicio auditos aut convictos non fuisse, quantumvis audiri enixè postulerint, seseque ad reddendam doctrinæ suæ ac fidei rationem paratissimos exhibeant. Qui quidem, tametsi numero vincantur ab iis qui Jansenium damnant, non parvam habent in hac causa auctoritatem, cùm in perdifficili & implicatissima Quæstione, qualis

qualis est ea de qua in *Augustino* Jansenii agitur, minimè culpandus sit, qui paucorum valdè doctorem judicium, plurimum aliorum præferat suffragio, quos noverit non ita gravos esse, neque in ea re tam diligenter versatos.

III. Disceptat de interpretatione libri elucubrati ab Episcopo pietate & doctrina celebri, qui in Ecclesiæ Catholicæ communionem semper vixit, atque Hæreticos sæpe, tum voce, tum scripto, exagitavit.

IV. Materia libri, in qua errasse dicitur, perdifficilis & perobscura est, neque unquam ab eo tam clara & subtili oratione explicari potuit, quin facile lectores minus cauti aut periti in ea hallucinentur.

V. Propositiones iisdem verbis quibus damnatæ sunt, in ejus libro non extant, ut omnes præterentur, si primam excipias, quam sensu plane Catholico intelligendam, tum ex precedentibus, tum ex subsequentibus contendunt illius defensores.

VI. In eos vix cadere potest suspicio malæ fidei, quasi inficiatione facti, jus ipsum velint negare. Nam primò formulæ subscriptionem reculando, non solum ipsas Propositiones apertè danant, sed variis scriptis suam ea de re sensum manifestant, nihil se aliud defendere contestari, nisi prædestinationem gratuitam ac gratiam seipsa efficacem, quam S. Augustinus totaque Sancti Thomæ scho'la tuerit: tum vero in hunc eundem sensum singula Jansenii verba interpretantur; cujus rei testimonium habent vel ab ipsis Episcopis formulæ auctoribus in epistola ad Innocentium X. Pontificem scripta. Præterea de iisdem propositionibus suam fidei confessionem quinque articulis comprehensam, in Urbem ad Alexandrum VII. miserunt, quam diligenter examinaram Pontifex Orthodoxam judicavit, eamque *sanioris esse doctrinæ* rescripsit. Postremò ab Episcopis formulæ subscriptionem urgentibus sæpe quaesierunt, quænam propriè dogmata Janseniani sensus nomine intelligi oporteat, idque ut planè ac dilucidè ab eis declararetur; institerunt. Sicubi vero adversarii propositionum sensum assignarunt, qualis est grata necessitatis in secunda & tertia propositione, hunc illi statim tanquam falsum & hæreticum repudiarunt. Quæ si quis animo attendat, vix fieri potest ut eos habeat suspectos, quasi mala fide factum negent, ut ea occasione damnatos errores tueantur. Quippè eadem ratione ad Baronium & Bellarminum Cardinales, Monothelitarum hæreticos suspicio pertineret, quod adversus trium Conciliorum Generalium plurimumque Summorum Pontificum definitionem, literas Honorii ab ea hæresi vindicent. Similiter in Petavium Nestoriani dogmatis crimen caderet, quod scripta Theodoretii adversus Sanctum Cyrillum, tanquam erroris expertia, defendat. Denique ex mente Gregorii Magni, nemo tam Catholicus, quin ei hæreticos labe aspergatur, si publica ejus fidei professione insuper habita, eum intus in animo hæresim retinere, ex tam inutilibus argumentis conicere liceat.

VII. Iisdem illi Theologi in reliquis materiis, quæ vel ad hierarchiam, moralem doctrinam, disciplinam Ecclesiasticam, poenitentiam atque Eucharistiæ Sacramenta, aliaque magni momenti Sacræ Doctrinæ capita pertinent, strenuos se veritatis defensores præstant.

VIII. Iis in hac causâ adjungendi sunt complures Episcopi, qui vel publicis

edi&ctis, vel Perscriptis in Diocesana Synodo actis, distinctionem Juris & Facti, in subscribendâ Formulâ, probaverunt, aut etiam qui hanc in subscribendo distinctionem adhibentibus faciles se præbent, tamen ipsi illam in suis Edi&ctis non interposuerint. Hunc enim constat, Factum Jansenii omnibus istis Antistitibus minimè certum aut evidens videri.

IX. Deniquè si quis ea quæ in toto hoc negotio gesta sunt, consideret, quibus machinis Jansenium adversarii adorti sint, quamquæ parùm æquis legibus, tota hæc lis, jam ab initio, instructa sit, vix sibi temperare poterit, quin lato in eum judicio diffidat, & de eâ re dubitet, cui tot rationes fidem detrahunt. Hæc obiter retigisse sufficiat, quæ cum tibi valdè perspecta sint, satius est tuæ prudentiæ cogitanda relinquere, quam iis fusiùs explicandis, in nonnullorum offensam incurrere.

Hæc, fateor, multaque alia quæ brevitate causâ omitto, gravissima mihi in hæc Quæstione visa sunt; nequæ fieri posse existimo, ut ea quis diligenter apud se repperet, quin Factum de quo agitur, minimè certum ac evidens esse agnoscat.

Id Jansenii adversarios non fugit. Undè hæc se ratiocinatione premi animadvertentes, Quæstionem aliò detorqueere conantur. Nequæ enim, inquit, hic de Facto agitur, cum Doctrina Jansenii, sive ea sit vera aut falsa, Catholica aut Hæretica, res sit in Jure posita: Undè ultrà inferunt, Ecclesiam, in eâ dijudicandâ, errare non potuisse, atquæ aded quod de illâ pronuntiavit, apud omnes Catholicos ratum esse oportere.

Verùm mera est cavillatio, quæ res suapte naturâ divulsas verbis involvunt, & Juris, Factique inseparabilitatem jam pridem ab omnibus explosam, ac priori tuo Edi&cto penitus profigaram, iterùm nobis obtrudunt. Nequæ enim dubium, quin Doctrina Jansenii, si per seipsam consideretur, necessariò vera sit aut falsa, Catholica aut Hæretica. Sed nunquàm hinc quæstio Juris, quæ Hæreseos accusationi locum præbeat, existet, nisi priùs constet quænam sit ea Doctrina, atquæ id demùm in Controversiam vocetur, utrùm hæc ipsa Doctrina, de quâ jam inter omnes convenit Catholica sit vel Hæretica. Tunc enim id ex Scripturis Sacris & Traditione dirimendum erit, proindequæ ad jus seu fidem Ecclesiæ pertinebit. Sin verò de Doctrinâ nondùm convenit, sed ab aliis in alium atquæ alium sensum accipitur, semper quæstio erit in Facto: id quod in præsentî Controversiâ usu venit, aliis Doctrinam Jansenii in Sententiam quinque Propositionum à Pontificibus damnatarum accipientibus, aliis verò in Sententiam Gratiz per seipsam efficacis; quod certè Dogma orthodoxum est, & magnam in Ecclesiâ Catholicâ habet autoritatem. Sic de Honorio, quia inter Theologos de ejus Epistolarum Doctrinâ non convenit, in quibus alii Christo unam concordiam & consensione voluntatem, Catholico sensu, tribui contendunt; alii verò unam naturam & essentiam, quæ erat Monothelitarum hæresis, non nisi Facti quæstio est, utrùm horum potiùs senserit Honorius, de quâ licet Theologis inter se disputare, dummodò cum Ecclesiâ Catholica, atquæ duas in Christo voluntates, ac naturas, admittant.

Cæterùm hic, tanquàm rem maximi momenti diligentius observandam puto, cum ambiguz sint quinque Propositiones, & in varias facile Sententias accipi possint,

possint, minimè viris Theologis vitio verti posse, si eas distingui, ac sensum quo damnandæ sint, assignari postulent, priusquàm Formulæ subscribere cogantur; Episcoporum verò, utpotè qui Fidelibus Doctores à Deo constituti sint, parte esse, eorum dubitationem iolere, idquè, quod damnandum proponunt, clarè explicare; nè alioquin illi in fraudem inducantur, ac minùs sincerum edar suæ fidei testimonium. Quamvis in damnandis quinque Propositionibus Sententia gratiæ efficacis, cùm expressâ Pontificum declaratione, tum generali ratiõne Ecclesiæ consensu excepta sit, fateri tamen necesse est, valdè oprandum fuisse, ut sententia ipsa quæ Censuræ subjecta est, non dubio ac incerto Jansenii sensus signo, unde nunc tot in Ecclesia turbæ, sed claris ac dilucidis verbis fuisset explicata. Quod in re Theologi illi eo magis tibi, adhibita formulæ subscribendæ distinctione, cavendum putant, quòd probe nôrint non eodem modo ab omnibus intelligi, quid Pontificibus damnatum sit; unde verendum est ne aliquando eâ occasione gratia ipsa efficac in discrimen adducatur, maxmè cùm eam oppugnent adversarii, idque unum in tota hac concertatione agere videantur, ut quam aperto Marte adoriri non audent, quasi per insidias & cuniculos expugnent.

Hæc sunt quæ in præsentî Quæstione post longam meditationem mihi certa & explorata habentur, & ex quibus apud me statui, quid in hocce negotio mihi gerendum sit, ut muneri ac conscientiæ satisfaciam. Tibi confirmare possum, ea mihi in dies certiora ac firmiora vident, & quo plus progredior, eò magis magisquè in eis me acquiescere. Hâc ratione in promptu fuit expedire me tricis & difficultatibus, quibus homines plùs propriis commodis & cupiditatibus, quàm veritatis studio aut Ecclesiæ honori addicti, jam dudum hanc causam conantur involvere, atque eo modo veram & solidam conscientiæ pacem nactus sum. Neque dubito quin quis hæc animo à præjudiciis libero perpendat, idem sit experientiâ comprobaturus, præsertim si magno sinceritatis Christianæ studio teneatur, ut teneri Te, non uno Literarum Tuarum loco, palàm ostendis.

A priori sententia discedere non dubitavi, simul atque harum rerum clariorem Deo dante, intelligentiam habui; cujus gratia etiam futurum spero, ut nullis unquam humanis affectibus aut consiliis deterrendus sim, quo minus debitum veritatis testimonium perhibeam. In hoc utique gloriabor, eaque ratione mihi certum est conscientiæ tranquillitatem tueri, quod bonum tanti faciendum est, ut nihil ei in hac vita anteponendum putem: Unde etiam illud tibi, ac cæteris qui me pari ac Tu benevolentia, prosequuntur non possum non optare, nihilque, fateor, mihi magis cordi fuerit, quam ut in hac quæstione, tam eadem esset utriusque nostrûm sententiæ quam Tu ipse mihi confirmas, eandem prorsus esse in iis quæ spectant ad disciplinam ac moralem doctrinam. Non parvum, ut mihi videtur, id momentum haberet ad reddendam Theologis pacem, sedandasque concertationes, quibus jamdudum miserè apud nos Ecclesia constrietur.

Tantum à te bonum Gallia expectat universa, pro ea quâ polles, & Ecclesiasticè dignitate, & summa apud Regem gratia: quod ut præstare possis, copiosam tibi Spiritus subministrationem à Christo Domino precor, quo & agenda videas, & a

implenda quæ videris, convalescas. Epistolam absolvo, à te suppliciter postulans, ut quo illam animo ad te scripsi, eodem accipias, eamque habeas, tanquam simplicem sensuum meorum apud te declarationem, ac verissimam singularis in te amoris mei atque observantia significationem.

Aleſi die 7. Novemb. 1667.

*Tuus, Domine Illme. humillimus & obsequen-
tissimus servus Nicolaus Ep. Aleſtensis.*

Hac Episcopi Aleſtensis Epistola die 7. Novembris 1667. data, responsio est ad aliam Archiepiscopi Parisiensis Epistolam die 20. Octobris precedentis scriptam, & à Domino Feret S. Nicolai in Urbe Parisiorum Parocho atque uno ex Vicariis Generalibus ejusdem Archiepiscopi ad Episcopum Aleſtensem missam. Hac autem Responſio ad eundem D. Feret qui illam Archiepiscopo traderet, missa est. Rescripsit Archiepiscopus se illam accepisse, variisque occupationibus detentum non potuisse respondere: id cum primum per otium liceret, facturum. Quod tamen non praestitit: nullasque certè quidem hac de re literas postea ab eo Praesule accepit Aleſtensis Episcopus.





49

